



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen  
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark  
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1858**

CLXII. Der Rath zu Osterburg gelobt, das Vermögen eines Unmündigen dem Stadtgerichte zu Stendal zu extradiren, am 13. Januar 1345.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54890](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54890)

CLXII. Der Rath zu Osterburg gelobt, das Vermögen eines Unmündigen dem Stadtgerichte zu Stendal zu extrahiren, am 13. Januar 1345.

Nos Iudex et Schabini in Osterburg in presentibus recognoscimus et protestamur, quod Thiderico, filio Thiderici, dicti de Krusemarck, et ejus veris heredibus tres Marcas cum III lotis promissimus conseruare: pro ista pecunia nobis cautio sufficiens cum hereditatibus jaçentibus est facta. Et dum ipse Thidericus predictus ad annos discretionis peruenerit, tunc predicta pecunia debet ipsi in Stendal coram iudice et Schabinis presentari, cum qua tunc temporis ad tutorem ad quem voluerit se diuertere potest. Et qui predictam pecuniam sub se habuerit, debet de ea in Stendal tempore suo dare exactionem, et si predictus puer Thidericus moreretur, tunc etiam pecunia predicta debet in Stendal coram iudice et schabinis presentari et diuidi juxta jus hereditarium ciuitatis Stendal. In premisorum testimonium sigillum ciuitatis Osterburg presentibus est appensum, in anno domini M<sup>o</sup>. CCC<sup>o</sup>. XLV<sup>o</sup>., octaua die festi epyphanie domini.

Nach dem Originale des Stend. Rathsrarchives No. 84.

CLXIII. Der Rath zu Stendal quittirt den Rath der Stadt Lübeck wegen Entrichtung der Reichssteuer, am 7. September 1345.

Vniuersis presentes litteras inspecturis seu eciam auditoris . . consules ciuitatis Stendalensis salutem in Domino sempiternam. Recognoscimus et tenore presentium firmiter protestamur, quod honorabiles viri et discreti domini . . consules ciuitatis Lubicensis, annum censum, illustri principi et domino nostro karissimo, domino Ludowico, marchioni Brandeborgensi, ex parte gloriosissimi et inuictissimi principis ac domini, domini Ludowici, Romanorum imperatoris, debitum honorabili viro, domino Thiderico dicto Buzst, nostro amico dilecto, in festo Natiuitatis beate Marie virginis presentis anni ad manus nostras et nostro nomine plenarie et integre persoluerunt. Vnde memoratos dominos . . consules Lubicenses ab huiusmodi censu nobis pagato per eosdem et ad vota nostra plenarie persoluto quitos virtute presentium perpetuis temporibus dimittimus et solutos. In quorum omnium firmam euidentiam et testimonium sigillum nostrum presentibus est appensum. Datum anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo quinto, in vigilia Natiuitatis beate Marie virginis supradicte.

Aus der Lübecker Urk.-Samml. II, S. 778. 779.